Theſes,
IN QVIBVS
noſtrarum Eccleſiarum
De Imaginibvs doctrina contra εἰκονολάτρας Pontificios, & εἰκονομάχους Sacramentarios defenditur;

Propoſitæ ad diſputandum in celebri Academia Lipſenſi,

à

M. Georgio Bachmano Electoralium alumnorum Præceptore.

Ad diem 13. Auguſti.

Greg. ad Serenum:

Quòd vetueris adorare Imagines probamus, quod ſuſtuleris improbamus.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

LIPSIÆ,
Excudebat Georgivs Defner,
M. D. LXXXV.

THESES.

I.

De Imaginibvs magnæ exortæ ſunt ſemper in Eccleſia contentiones: qua in re cùm neque religio Chriſtiana, neque ſalus noſtra vlla ex parte ſita ſit, dolendum eſt tam hoſtiliter propterea dimicari. Paulus ſtultas quæſtiones & contentiones prohibet, nihil facientes vel ad fidem, vel ad proximi dilectionem, 1. Timoth. 1. Certè & ea, quæ de imaginibus eſt contentio, ad huiuſmodi inutiles quæſtiones non immeritò à Luthero refertur.

II.

Quidam nullas in templis ferendas eſſe imagines contendunt, nec eas quidem, quæ ornatus tantùm & memoriæ, non ſuperſtitionis gratia adhibentur, & pij Zeli partem non poſtremam eſſe putant, demoliri imagines, & omni illarum vſu Chriſtianis interdicere.

III.

Quidam, vt Pontificij, ſecuti decretum ſecundæ Synodi Nicenæ, adeò vrgent imagines, vt anathema pronun-

cient eum, qui non neceſſariam credat eſſe illarum obſeruationem. Quin & venerandas docent eſſe ſtatuas ſalutationibus, incuruationibus, circumgeſtationibus, & ſimilibus ineptis & ridiculis immani hominum audacia confictis ceremonijs.

IV.

Nos, vt vtrumque ſcopulum vitemus, media incedemus via, oſtenſuri paucis, quomodo ſine ſuperſtitione retineri poſsint in templis rerum ſacrarum imagines, & quomodo ſine peccato eædem etiam poſsint aboleri, neceſsitate ſic vrgente.

V.

Etenim ſiue habeantur, ſiue non habeantur imagines, nullum inde ſalutis vel incrementum accedit, vel detrimentum. Fides, ſecundum Paulum, ex auditu eſt, Roman. 10. (non ex imaginum aſpectu.)

VI.

Imagines (vt à definitione rem ordiamur) alterius rei vocamus ſimulacrum, vel ſimilitudinem, ex metallis, lapidibus, lignis, aut alia quacunque materia confectam, partim propter ornatum & rerum geſtarum memoriam, partim etiam propter ſuperſtitionem.

Græci

VII.

Græci imaginem εἴδωλον vocant, quod nomen diminutiuum videtur, deductum ab εἶδος, quod formam ſonat: Vt ita omnis forma rei alterius Idolum dicatur, quod tamen frequenter accipitur pro ea imagine, cui cultus exhibetur, vt: Fugite Idola, 1. Cor. 10. Latini εἴδωλον interpretantur per vocabulum ſimulacri, vt Hieronymus in verſione 1. Ioh. 5. τεκνία φυλάξατε ἑαυτοὺς ἀπὸ τῶν εἰδώλων: Filioli cuſtodite vos à ſimulacris. Et Simulacrum à ſimulando deducit Lactantius lib. 2. cap. 19. eò quòd alterius rei ſpeciem ſimulet, vel alterius rei ſimilitudinem repræſentet.

VIII.

Vſum imaginum perantiquum eſſe etiam apud Ethnicos, tum ſacræ teſtantur, tum prophanæ hiſtoriæ: Quem quidem vſum primum politicum conſtat fuiſſe. Vſitatum enim fuit bene de Rep. meritis ſtatuas ponere, vt videre eſt apud Plinium lib. 34. cap. 4. Et Valerium Max. lib. 8. cap. 16. Poſtea verò degenerauit hic vſus in ſuperſtitionem & Idololatriam: factumq; eſt, vt non amplius memoriæ tantum cauſa erigerēt ſtatuas: ſed & quadam adulatione diuinum eis honorem attribuerent, vt teſtantur hi-

ſtoriæ Nabuchodonoſoris, Daniel. 3. Antiochi, Maccab. 1. & ſimilium. Ex quo tandem Deorum etiam Idolis omnia ipſorum templa fuerunt repleta.

IX.

Huiuſmodi cultus Ethnici exempla plurima extant in ſacris literis. Moabitæ Baalem coluerũt, Num. 22. 4. Reg. 10. 21. Ierem. 7. 19. 23. Ammonitarum Idolum Moloch fuit, Leuit. 20. 4. Reg. 23. Dagon Philiſtinorum, Iudic. 16. 1. Reg. 5. Quin & Iouis, Martis, Cereris, Mineruæ, Solis etiam & Lunæ, aliarumq́ creatarum rerum ſtatuis erectis tum publicè in templis, tum in priuatis etiam ædibus honorem diuinum attribuerũt, Rom. 1. Galat. 4.

X.

Ad imitationem gentilis iſtius conſuetudinis etiam in populo Dei fieri cœperunt huiuſmodi ſimulacra. Habuit ſua Idola Laban, Gen. 31. 35. Vitulum aureum Iſraëlitæ, Exod. 32. Et Ezech. 20. ſcribitur, Filios Iſraêl deflexiſſe ad Idola Ægypti.

XI.

Quàm verò impius fuerit talium ſimulacrorum cultus, oſtendunt partim expreſſa S. Scripturæ teſtimonia, cultum illũ improbantia, vt Pſ. 115. Eſa. 41. 42.

Ier. 2.

Ier.2. Matth.4. Partim verò cõminatio-
nes & pœnæ propoſitæ cultoribus Ido-
lorum, Num. 25. 3. Reg.14. 4. Reg. 1.
Amos 1.

XII.

Ex quo concludimus, nullum ſimu-
lacrum faciendum eſſe cultus cauſa, ſiue
Dei illud ſit, ſiue hominum, ſiue eorum
quæ ſunt in cœlo, ſiue in mari, ſiue in ter-
ra, ſiue ſub terra, Exod. 20. Leuit. 26.
Deut.4. Stat enim immota illa ſententia:
Fugite Idola, 1. Cor. 10. Et rectè de tali-
bus ſimulacris loquitur Lactantius lib.
2. inſti. cap. 17. Non eſt dubium, quin
religio nulla ſit, vbicunque ſimulacrum
eſt. Et Iuſtinus Martyr, in oratione Pa-
rænetica ad Græcos ex Sybillinis car-
minibus damnat Idola hoc modo:
ἔργα δὲ χειροποίητα σεβαζόμενοι ἄφρονι μύθῳ.

XIII.

Quin & iſtum imaginum cultum, qui
ad πρωτότυπα refertur, in Scriptura da-
mnari, & cultum Dei alieni appellari
ſtatuimus.

XIV.

Nemo enim Iſraëlitarũ adeò vecors
fuit, vt putauerit, vitulum eo die primum
conflatum, ipſos ante quatuor menſes
eduxiſſe ex Ægypto: ſed teſtari volue-
runt hac ceremonia, ſe per hoc ſimula-

ęrum eum Deum colere, qui ex Ægypto eos eduxit. Vnde Aaron ſonora voce proclamat: Cras ſolennitas erit, non vituli, ſed Haiehoua, veri Dei. Et tamen ille cultus à Deo fuit damnatus.

XV.

Eadem etiam eſt ratio Idoli תְּרָפִים, quod Micha fudit & ſculpſit, Iudic. 17. Non enim Dœmoni, ſed Leiehoua, h. e. ipſi vero Deo (quem per huiuſmodi appellationem à commentitijs numinibus ſcriptura ſolet diſcernere) pecunia illa, vnde ſculptile fuit formatum, conſecrabatur. Et Micha dicit: Nunc benefaciet mihi Iehoua: Et ibidem cap. 18. Leuita reſpondet Danitis conſulẽtibus Deum apud illud ſimulacrum: Iehoua adeſt itineri veſtro. Et tamen Scriptura ait, ipſos coluiſſe Deos alienos, 1. Re. 15. Iniquitas תְּרָפִים eſt.

XVI.

Cur verò noluerit Deus vel in imaginibus, vel per imagines coli, rationes ſunt in promtu, videlicet: 1. Ne honor ſoli Deo debitus deferatur ad creaturas. 2. Quia omnipotens eſt Deus, & corda orantium introſpicit, opus non eſt, in mortua eum imagine cõpellari. 3. Deus in ſpiritu & veritate vult adorari, Ioh. 4.

Non

Non ergo adorandus eſt in imaginibus. Et multò minus ipſę imagines ſunt adorandæ, iuxta illud: Gloriam meam alteri non dabo, Eſa. 42.

XVII.

Ex numero Idololatrarum ſtatuimus eſſe Pontificios. Siue enim ipſas imagines, ſiue imaginum πρωτότυπα in imaginibus adorent, demonſtratum iam eſt, impium eſſe illum cultum.

XVIII.

Et quacunque tandem ratione ſeſe excuſent, tamen minima pars cultus non eſt, aras extruere imaginibus, iiſdem Miſſarum ſacrificia facere, genua coram illis flectere, caput aperire, coram illis ſe proſternere, preces facere, Deum ibi magis quàm alibi propitium credere, cereas faces imaginibus accendere, illis oſcula figere, auro & argento illas veſtire, eaſdem circumferre, peregrinationes ad illas inſtituere, & ad infinitas ſuperſtitiones occaſionem præbere.

XIX.

Quin imò & hoc nimis eſt ridiculum & blaſphemum, ſanctorum hominum, qui nunc in æternæ gloriæ ſtatu verſantur, adorare imagines, eoſq; patronos & tutelares Deos facere. Contra quos rectè inquit Auguſt. in lib. de vera

relig. cap.25. Excellentes viri religionis cauſa non ſunt adorandi.

XX.

Nec quicquam eos iuuat Auguſtini illa diſtinctio τῆς λατρείας & δουλείας. Aiunt enim, imaginibus ſanctorum ſeſe exhibere non λατρείαν, quæ ſoli Deo debeatur, ſed δουλείαν, quoddam ſeruitium.

XXI.

In verbis enim diſcrimen quærunt, quod reipſa eſt nullum, cùm conſtet, non rarò λατρείαν pro δουλεία, & contra δουλείαν pro λατρεία accipi, vt teſtatur Valla in annotat. cap. 4. Matth. Et δουλεία apud Paulum aliquoties accipitur pro λατρεία, Rom. 7. 14. Col. 3. 1. Theſſ. 1. Et Matth. 6. verbum δουλεύειν etiam Deo tribuitur: οὐ δύνασθε θεῷ δουλεύειν καὶ μαμμωνᾷ. Et quis adeò eſt demens, qui neget, in fideli ſeruitio cultum quoque aliquem includi?

XXII.

Quod verò conciliorum nobis opponunt decreta, & inter hæc Niceni ſecundi, in quo manifeſtè propugnatur εἰκονολατρεία, id parum eos iuuabit. Certum enim eſt, ſæpius & grauiter errâſſe concilia. Nos omnibus illis concilijs opponimus concilium Apoſtolicum Actor. 15. in quo tale decretum faciunt Apoſto-

Apoſtoli: Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis, vt abſtineatis ab Idolothytis, ſiue inquinamentis ſimulacrorum: Qua quidem voce haud dubiè quicquid ſimulacris eſt annexũ, intelligitur.

XXIII.

Idem etiam reſpondemus ad teſtimonia, quæ pro defendenda horribili iſta Idololatria ex Patribus adducunt: Cùm non quis dixerit, ſed quid vnuſquiſq; patrum dixerit, in hac cauſa ſit attendendum: Nec nobis deſunt teſtimonia, Idololatricum illum cultum reprehendentia, S. Athanaſij, Auguſtini, Epiphanij, Hieronymi, Lactantij, & aliorum præclarè de Eccleſia Chriſti meritorum virorum.

XXIV.

Miracula etiam (ne quid ineptiarum deſit) nobis obijciunt Pontificij, edita ab imaginibus. Credat hoc qui volet: nos nihil mouent iſta ad quæſtum excogitata ludibria.

XXV.

Ac licet per diaboli deluſiones edita aliquando fuerint ab imaginibus, vel ad imagines miracula: indè tamen non ſequitur, illas eſſe adorandas. Petrus maiora miracula edidit, & tamen noluit

adorari.

adorari. Æneus ſerpens multos ſanauit, & tamen cum adoraretur, fractus eſt ab Ezechia, & in nihilum redactus, 4.Reg. 18. An ignorant, Antichriſtum cum prodigijs eſſe venturum?

XXVI.

Reiecta iam & refutata impia illa Pontificiorum Idololatria, videndum etiam nunc eſt, an quia cultũ imaginum ſcriptura damnat, etiam ſimpliciter damnet imagines: Et quia illarum abuſum prohibet, omnem etiam illarum vſum auerſetur.

XXVII.

Artem ſtatuariam, picturam & plaſticen, vt aliarum artium ſcientias Dei donum eſſe ſtatuimus. Nam de omnibus operibus tabernaculi, ad quæ etiam Cherubin formatio pertinet, inquit Dominus: Impleui Bezaleel Spiritu Dei, ſapientia & intelligentia, ad operandum auro, argento, ære, &c. Exod.31.

XXVIII.

Rei verò per ſe bonæ multiplicem eſſe abuſum non negamus, vt vini, vt armorum, vt multarum ad hominum vtilitatem conceſſarum artium.

XXIX.

Proinde & bonarum imaginum ſuum eſſe abuſum concedimus: Per ſe verò illas eſſe malas, pernegamus.

Nec

XXX.

Nec vſpiam in ſacris literis illas ſimpliciter damnari legimus: ſed adorationem tantum, quam ſub Deorum alienorum cultu ſcriptura complectitur, ſeriò prohiberi affirmamus.

XXXI.

Quod cùm ſit, ſtatuimus, licere Chriſtianis rerum ſacrarũ imagines habere, vtpote Dei, Saluatoris, ſanctorũ Angelorum, B. Virginis, Apoſtolorum & ſacrarum hiſtoriarum, ſine tamen ſuperſtitione.

XXXII.

Locorum etiam, in quibus picturas habere liceat, diſcrimẽ hîc nullum facimus: Verum vnanimiter credimus, tã in tẽplis, quàm extra tẽpla licere Chriſtianis rerum ſacrarum habere imagines, piæ recordationis, & ornatus, nõ ſuperſtitionis gratia, vt rectè inquit Cyrillus lib. 6. con. Iulian. Lignum crucis nos admonet, vt cogitemus, quod Paulus dixit: Vnus pro omnibus mortuus eſt.

XXXIII.

Ex quo apparet, quantoperè errent εἰκονοκλάσαι, remouentes omnes imagines tàm ex priuatis ædibus, quàm ex tẽplis Chriſtianorum: Quantos etiam pijs conſcientijs moueant ſcrupulos de re per ſe indifferente.

Etenim

XXXIV.

Etenim imagines cum Luthero inter ἀδιάφορα ponimus.

XXXV.

Quæ qualia ſint, oſtendit Hieronymus in Epiſt. ad Auguſt. Indifferentia ſunt, quæ ſiue fecerit aliquis, ſiue nō fecerit, nec iuſticiam inde habebit, nec iniuſticiam.

XXXVI.

Itaq; nec neceſſariæ ſunt imagines ad ſalutem, nec fidem etiam noſtram impediunt, cùm ſine ſuperſtitione habentur.

XXXVII.

Neceſſarias nō eſſe liquet, quia imagines pertinēt ad ceremonialia Eccleſię, quæ cùm libera ſint, nemini ſalutem poſſunt conferre. Et cōſtat primitiuam Eccleſiā vltra annos quadringentos à tempore Apoſtolorum nullas in templis habuiſſe imagines, vt videre eſt apud Clementem Alexandrinum & Lactantium.

XXXVIII.

Quæ Eccleſia ſine dubio ideò abhorruit ab imaginibus, vt vel hac ratione prorſus ſe à gentibus iſtius ſeculi ſegregaret, quæ Deum nō aliter quàm per ſimulacra coluerunt. Et inter alia etiam hoc Celſus obiecit Chriſtianis iſtius ſeculi, quod religionē haberent ſine ſimulacris.

Quòd

XXXIX.

Quòd verò nec fidem Chriſtianam impediant imagines, mox indicabitur; cum noſtram de imaginibus ſententiam confirmabimus.

XL.

Quocirca ſiue vrgeantur imagines, ſiue prohibeantur, vtrobique erratur: cum nec peccent, qui ſine ſuperſtitione illas retinent, nec contra verbum Dei & Eccleſiæ antiquioris faciant conſuetudinem, qui ſine ſimulacris religionem Chriſtianam exercent.

XLI.

Εἰκονολάτραι quidem errant: 1. Quia neceſſarias putant eſſe in Eccleſia imagines. 2. Quia Anathemate feriunt eos, qui nihil tribuunt imaginibus: Id quod fecerunt Patres ſynodi Nicenæ ſecundæ: Quorum cùm de imaginibus tantum fuerit contentio, dolendum eſt, tantam ex re tam vili ortam eſſe orientalium & occidentalium Eccleſiarum diſtractionem.

XLII.

Τῶν εἰκονομάχων verò ideo etiam deteſtandus eſt error. 1. Quia damnant omnem vſum imaginum in tẽplis, etiam hiſtoricum. 2. Quia eo ipſo ſcandalum dant infirmis. 3. Quia turbas mouent in

Eccleſia

Eccleſia non neceſſarias de re, quæ per ſe nihil habet incommodi. 4. Quia exiſtimant hoc opus Deo placere: Ita fit, vt dum ex oculis remouent imagines, corda repleant idolis.

XLIII.

Sed quia τῶν εἰκονολατρῶν ſuprà refutatus fuit error, ideo rationes etiam iam examinemus, quibus ſuam iſti δοξόσοφοι tueri conantur εἰκονομαχίαν.

XLIV.

Primò, tanquam Gorgonis capu- nobis obijciunt dicta illa, Exod. 20. Leuit. 26. Deut. 4. & his ſimilia, vbi dicitur: Non facies tibi ſculptile, aut vllam ſimilitudinem, ſiue eorum, quæ ſunt in cœlis deſuper, ſiue eorum, quæ ſunt in terra deorſum, & quæ in aquis, ſub terra, &c. Itaq; nec Dei, hic enim eſt in cœlo, nec hominum, qui in terra ſunt vel fuerunt, imaginem faciendam eſſe inferunt.

XLV.

Reſpondemus. Dicta illa omnia loquuntur de cultu & adoratione imaginum, quam & nos damnamus. Id enim ſtatim ſubijcitur: Non adorabis ea, & non coles ea. Inde verò non ſequitur, ſimpliciter damnari imagines. Cumq; ex abuſu damnato, omnem etiam imaginum vſum damnent, à dicto ſecundum

quid,

quid ad dictum ſimpliciter pueris etiam notam fallaciam committunt.

XLVI.

Secundò aiunt, non licere nobis pingere Deum. Hic enim cùm Spiritus ſit, lineis & coloribus demonſtrari non poteſt. Adducunt & illud Eſaiæ 40. Cui aſsimilabitis Deum, aut qua ſimilitudine illum exprimetis?

XLVII.

Reſpondemus, adeò ſtupidos nos non eſſe, vt neſciamus, ipſam Dei eſſentiam imagine exprimi non poſſe. Quia tamen Deum ipſum non puduit, os, linguam, naſum, brachia, & ſimilia membra humana noſtri cauſa ſibi attribuere, cur non & nobis liceat eodem modo Deum pingere coloribus, quo modo ſeipſum ille depinxit in phraſibus?

XLVIII.

Tertiò obijciunt nobis periculum ſuperſtitionis & adorationis. Populus enim ſua natura pronus eſt ad ſuperſtitiones. Præſtat ergo remouere omnes imagines, quàm vllam ſcandali præbere occaſionem.

XLIX.

Concedimus & nos, melius eſſe, nullas extare imagines, quam vel minimũ cultum eis exhiberi. Docemus verò

populum, cur habeantur imagines, videlicet, non vt adorentur, ſed vt ſigna ſint rerum geſtarum. Tenacius enim inhæret animis, quod oculis ſemper obverſatur. Quod ſi ſpreta doctrina accedat ad imagines cultus, pius magiſtratus imitari poterit ſine peccato exemplum Ezechiæ 4.Reg.18.Theodoſij Imperatoris, & Sereni Maſsiliæ Epiſcopi.

L.

Patrum etiam nobis obijciunt teſtimonia, S. Athanaſij, Epiphanij, Hieronymi, Lactantij, &c. qui omnes nõ abuſum tantum imaginum, ſed ſimpliciter damnant imagines. Reſpondemus: Patres illos ideo fuiſſe imaginibus iniquiores, quia qui ex gentibus eo tempore conuertebantur, etiam verum Deum in imaginibus per ſimulacra, ſicut in Paganiſmo fuerant aſſueti, colere voluerunt. Satius ergo fuit, pro ſeculi iſtius conditione prorſus remouere imagines, quam ſuperſtitioni occaſionem præbere.

LI.

Atq; hæc præcipua ferè ſunt τῶ εἰκονομάχων argumenta Reliqua, quæ nobis obijciunt, adeò ſunt leuia, vt ne refutatione quidem videantur eſſe digna.

LII.

Nos

Nos iam oſtendemus, licere Chriſtianis in locis ſacris ſacras habere imagines, 1. ornatus, 2. memoriæ, 3. cõmonefactionis, & repræſentationis gratia, neq; hoc pugnare cum lege Dei, ſi non accedat cultus & adoratio.

LIII.

Primum certum eſt, nuſquam in Scriptura ſimpliciter prohiberi imagines: ſed cultum tantum & adorationem Idolorum damnari, vt rectè ait Beda: Imagines in Eccleſia fieri nulla diuina litera vetuit.

LIV.

Deinde certum eſt, Imagines pertinere ad ceremonialia legis, quæ quia libera ſunt, neminem poſſunt polluere. Paulus 1. Cor. 8. ait: Scimus quòd nullum eſt ſimulacrum in mundo. Itaque ſeruare ſimulacra nihil nocebit illis præſertim, qui nouerunt, vnum tantum Deum colendum eſſe & adorandum. Loquitur enim ibi Paulus ſimpliciter de Chriſtiana libertate.

LV.

Ibidem Paulus indifferentia facit & delubra idolorum, & ea quæ immolantur Idolis, quæ tamen in lege erant prohibita. Itaq; & imagines ſunt quædam Ceremonia. Si enim licet (ſecundum

Paulum) ſedere ad Idola, & veſci ijs, quę immolãtur Idolis, omninò etiam ipſum Idolum citra peccatum poterit ferri, tanquam res, quæ nec conſcientiam offendat, nec fidem impediat.

LVI.

Eadem ratione etiam Eliſæus 4. Reg. 5. cõcedit principi Syriæ Naeman, vt in templo Idoli Rimmon verũ Deum adoret. Ergo non impediunt templorum ſimulacra cultum veri Dei. Quin & nos ipſi non deſtruimus templa Pontificiorum, in quibus tamen multiplici Idololatria Deus olim fuit offenſus: ſed quia ad meliorem vſum nunc, quam olim, illa adhibentur, rectè facimus, ſi illa non deſtruimus. Cur ergo non liceat, etiam eas retinere imagines, quæ olim fuerunt adoratæ, quæq́ ad meliorem vſum hodie referuntur?

LVII.

Sic Ioſue moriturus erigit lapidem prægrandem ſub quercu, quæ erat in ſanctuario Domini, vt eſſet teſtimonium icti fœderis cum Deo, Ioſ. 24. Et Samuel in memoriã auxilij diuini, erigit lapidem, & nomen eius vocat lapidem adiutorij, 1. Reg. 7. Et tamen Leuit. 26. Deus prohibet, ne titulos erigant, nec inſignem lapidem ponant. Verum quia ſequi-

ſequitur: Vt adoretis eum, ideo nec Ioſue, nec Samuel quicquam fecerunt contra mandatum. Sic in Iordane eriguntur 12. lapides, Ioſ. 4. Et Gen. 28. Iacob in titulum ponit lapidem. Idem etiã de imaginibus noſtris, non ad adorationẽ, ſed ad memoriã poſitis eſt iudiciũ.

LVIII.

Maximè verò illuſtre huius diſpenſationis exemplum extat, Ioſ. 22. Cum duæ tribus & dimidia ædificâſſent altare, (id quod in lege erat prohibitũ) reliqui Iſraëlitæ rati ad cultum hoc factum eſſe, indixerunt eis bellum. Cùm verò illi oſtenderent, altare illud extructum eſſe non ad ſacrificia, ſed in teſtimonium & hiſtoriæ memoriam, filij Iſraël hoc approbarunt, & Deum glorificauerunt. Quod, qua ratione non ad imagines etiam poſsit accommodari, non video.

LIX.

Quid, quod Deus ipſe Exod. 25. facere iubet duos Cherubin aureos mutuis vultibus ſe reſpicientes? Et Salomon rex ad ornatum domus Domini ſub mari fuſili facit boues duodecim. In baſibus verò format leones, boues, & in tabulatis ſculpſit Cherubin, 3. Reg. 7. 2. Paral. 3. Et Lucæ 21. ſcribitur, etiam

ſecundum templum pulcris ἀναθήμασι fuiſſe exornatum. Quod ſi ergo boues & leones licuit in ſacratiſsimo illo templo depingere, cur non & nobis liceat ipſius Chriſti, ſanctorum angelorum, & Apoſtolorum imagines in noſtris templis habere?

L X.

Porrò & Cæſaris imaginem in moneta Chriſtus nec exhorruit nec damnauit, Matth. 22. Et Act. 28. Paulus vehitur in naui, quæ præfert inſigne Caſtoris & Pollucis, qui tamen patroni erant nauigantium. Quo factoPaulus oſtēdit, pios rectè ſentientes, non contaminari imaginibus, etiam ijs, quæ alijs ad cultum proſtant. Sic imaginem Chriſti ſanantis αἱμοῤῥοούσης in Eccleſia reſeruatam olim fuiſſe, teſtantur Sozomenus & Euſebius: Et in calice Domini ſculptam fuiſſe imaginem boni paſtoris teſtatur Tertullianus.

L X I.

Poſtremò æquum eſt & conuenit, vnumquenque Chriſtianorum paſsionem & crucem Chriſti quotidie meditari. Iſta verò meditatio & recordatio fieri non poteſt, ſine aliqua imagine concepta in animo. Nam quotieſcunque homo recordatur crucis Chriſti, in animo cō-

cipit